





15557.

1784, 21.

OBSERVATIONES
IVRIS ECCLESIASTICI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE
CHRISTOPHORO FRIDERICO
WOLLE

IVRISSCIENTIAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORE
CONSISTORII ELECTORALIS LIPSIENSIS
ADSESSORE CIVITATIS SENATORE

D. XXVII. IANVAR. MDCCLXXXIV.

H. L. C.

DEFENDET

IOANN. GEORGEVS GEISSLER
GORL. LVSAT.

IVRIVM CVLTOR

LIPSIAE
EX OFFICINA IACOBAEERORVM.



CHRISTOPH WILHELM
VON BOETTGER

LEHRER DER PHILOSOPHIE

AN DER UNIVERSITÄT
ZU LEIPZIG

IN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT




OBSERVATIO I.

De foro discipulorum in scholis oppidanis degentium.




Nulla fere omni in iure doctrina tantis tamque ad solvendum saepe difficilibus nodis implicata tenetur, quam quae de regardis iurisdictionis finibus exponit. Neque hoc mirum. Cum enim servandis proferendisque iurisdictionis terminis, auctoritatem suam dignitatemque rectius firmare, diffundereque latius, ac reddituum quoque multitudinem augere iure quodam suo gestiat quivis magistratus, de iurisdictionis in causas personasque competentia dubitatione quadam iniecta, in legum vel silentio vel ambiguitate, mutuae aemulationis invidiaeque quasi certamine quodam suscepto, curiosissime quemvis scenae ferientem, quibus in iure suo defendendo vteretur, arma acquisivisse omnia, ipsasque leges, nisi iam sponte illae sequerentur, ad partes suas magna saepe cum iustitiae specie fere traxisse videas. A qua in tuendis iurisdictionis suae limitibus diligentia ac constantia nec ecclesiastici magistratus alieni reperiuntur, qui nec ad eam praestandam superbiae aut avaritiae stimulis impelluntur, verum et causarum ecclesiasticarum gravitate, et sanctissimo illo, personarum ecclesiasticarum mores ad salutem ecclesiae conformandi fingendique muneri suo cohaerente officio paene coguntur. Hinc et causas ecclesiasticas custodire diligenter, et Clericos omnesque omnino a Consistorio confirmatos cum invida quadam curiositate investigare, investigatosque foro suo vel in causis secularibus non omnino exemptis subiectos pertinaciter servare solent Consistoria. Nuper admodum, dum Custos quidam templi, in causa quadam saeculari conventus exceptione fori munire sese cuperet, hac in causa saeculari se magistratui subesse iactans, gravi merito admonitione hunc ipsi excussit errorem Consistorium Lipsiense. Quod Consistoriorum studium et adjuvit egregie in Saxonia illa in contentionibus, civiles inter ac ecclesiasticos magistratus



ortis seruanda, Clementissimi Principis iussu nuper proposita nobis norma. Sed num ad personas magistratibus ecclesiasticis subiectas pertineant etiam discipuli in scholis oppidanis viuentes, cum dubitari quodammodo possit, ipsa illa nobis in Saxonia proposita norma hac de re silente, neque scholae modo umbrae ac exercitationis gratia a nobis ponatur haec quaestio, verum, opponente sese nuper loci cuiusdam magistratu, in certamen iam illa producta vigerit, nosque in Saxonia Serenissimi Principis singulari rescripto in tuto nunc illam collocatam denuo fuisse merito laetemur, vt de ea paullo diligentius exponamus, operae profecto pretium videtur. Vt autem silentio nunc id, quod omnino recte hic vrgeri posse adparet, quod scilicet omnino plane non conuenire videatur, alii vt iudici pareant praecceptores, alii discipuli, sed vt illud silentio praetereamus, vel tacentibus legibus omnibus ipsa scholarum origo, ac imprimis illa rerum scholasticarum cura, magistratibus ecclesiasticis imposita, non modo inspectionis verum et iurisdictionis in discipulos competentiam satis euincat. a) Nam cum olim fere vbiuis monasteriis iunctae extiterint scholae, monasteria autem ad pios vsus translata venerint deinceps sub Consistoriorum iurisdictionem, sub eandem vna cum illis et scholas omnesque illarum homines peruenisse intelligitur. Cura autem illa longe grauissima rerum scholasticarum Consistoriis commissa, quo tandem modo felici successu geri, quo modo dissidia praecceptores inter ac discipulos orta ad totius scholae litterarumque ipsarum salutem componi, ad instituta scholastica seruanda adigi efficaciter satis immorigeri discipuli, aut ipsa eorum petulantia iuuenilis aptis poenis infligendis ad modestiam reuocari possit, si iurisdictionis suae limitibus inclusos tenere discipulos, sicque eos aut praedio quodam munire aduersus poenarum acerbitatem, aut acerbiorum etiam, quam aetatis teneritas leuitasque animi patiuntur, poenarum rigori exponere alieno iudici liceat? Sed in Saxonia ipsas leges scilicet *Ordinationem scholasticam* ac *Generale de Inspectione scholarum d. 22. Maii 1506* hanc vindicasse quodammodo Consistoriis in discipulos iurisdictionem legimus. Nihil tamen minus nuper loci cuiusdam magistratus scholae discipulos, eosque ludi magistrorum filios, qui, si vel a scholasticae vitae conditione discesseris, nisi officium tractent, aliudque vitae genus

a) De causarum omnino ecclesiasticarum apud Protestantes natura, ac cur scholarum causae ad illas referantur nemo melius exposuit *eruditissimo* QVISTORPIO in Beiträgen.

genus eligant, viuo patre Confistorio subiecti semper tenentur, immo vero patre mortuo, si apud matrem iurisdictioni ecclesiasticas subiectam commorentur, aut maiorenitatis terminum nondum attingerint, eandem iurisdictionem agnoscere obligantur, eos igitur magistratus quidam sub comminatione violentae in ius vocationis testimonium de tumultu aliquo nocturnis in saltationibus orto in iudicio suo perhibere inconsultis praecceptoribus per praetorem iubebat, ac propterea admonitus his fere argumentis ausus huius iniustitiam defendere conabatur: vi iuris patronatus iure omnino suo se hoc modo exigere potuisse a discipulis testimonium, licentiam hanc etiam probante HORNIO in *Additamentis ad Schilteri Institutiones Iuris Canonici. Lib. I. Tit. XIII.* inprimis hac in specie, vbi scelerum causa acta fuerit, ad quae inquirenda puniendae ipsarum legum auctoritate obligaretur. Praeterea hos, de quibus quaeretur, discipulos propterea plane foro suo subfuisse, quod in ciuium illi aedibus habitarent, beneficiis ciuium sustentati fuerint, operaque eorum in erudiendis ciuium liberis, musicesque elementis iis tradendis fuerit versata. At cum iuri patronatus nulla plane inhaereat per praetorem ex delegacione exercenda iurisdictione, verum, (legis vi ac potestate doctoris auctoritate deprimente) in causis ecclesiasticis inquirendis commissarii modo praerogatiuam ab Confistoriis expectare quodammodo possit patronus, magistratus porro in delictis quidem tranquillitatem publicam turbantibus, in facinore deprehensos in vincula conicere, aut si mero illi imperio gaudeant, grauissima delicta secundum *Ordinationem Ecclesiasticam Tit. von beyden Confistoriis* vindicare iure valeant, sed hanc potestatem non quaevis in quosuis iurisdictione comitetur, habitationis tandem ac beneficiorum commodum non privilegiati fori iacturam ac noui fori incommodum post se trahere possit, neque liberalium artium professio ad ciuica negotia detrudenda videatur, intelligitur facile istorum argumentorum imbecillitas, atque his quasi machinis Confistoriorum in scholas oppidanas discipulosque ibi viuentes nomine principis exercendam iurisdictionem nequaquam potuisse subuerti, sed potius, deiecta illarum leuitate, SERENISSIMI ELECTORIS singulari rescripto munitam eam fuisse merito gaudemus.



 Observatio II.

*De conditionata adulterii remissione vel quoad diuortium pro pura habenda.
 Deciso Nouissima XXXVIII ad stuprum ante matrimonium commissum
 recte accomodanda videtur.*

*Non modo qui stuprum aut adulterium nouit, verum et qui utrumque con-
 iicit, ac modo tacet, condonasse crimen existimandus.*

Sapienter sane consilio in Saxonia *Decisione Nouissima XXXVIII* con-
 sultum legimus, conditionatam adulterii condonationem puram esse
 habendam. Cuius decisionis sententiam extitit nuper admodum caussa-
 rum patronus, qui ad poenas modo adulterii comites restringere, ad has-
 que modo mitigandas conducere talem condonationem, minime vero
 ad seruandum, recusato diuortio, matrimonii ipsius vinculum, ex ipso
 loco illi decisioni assignato, quem scilicet crimina eorumque coercitio-
 nes sibi vindicassent, omni modo probare cuperet. At cum ipsa lex non
 distinguat, sed generali modo, non exclusa diuortiorum caussa, conditio-
 natam adulterii remissionem puram esse existimandam, praecipiat, neque
 ad renouanda coniugum iurgia conuiuere, ac matrimonii perennitatem
 ex vago quasi conditionis cuiusdam fluxu suspendere debeat, ad hanc me-
 rito causam esse trahendam decisionis huius sententiam, adeoque semel
 ad continuandum matrimonium, quamuis conditionate, propensione qua-
 dam declarata, omne deinceps diuortium iure abnuendum esse cognosci-
 tur. Eadem iusta vinculi matrimonialis, vt eodem ipsa educandorum li-
 berorum cura colligaretur, adstringendi potius omni modo arctius quam
 dissoluendi temere cupiditas, induxit nuperrime Consistorium Lipsiense,
 vt vel stupro, cuius ante matrimonium rea fuerat vxor, conditionate re-
 misso, eum constante deinceps matrimonio, ob conditionem ab vxore
 haud impletam, matrimonii ipsius peteret maritus dissolutionem, ad stu-
 prum adulterio multo leuius delictum, multoque adeo minus, contracto se-
 mel matrimonio, incerto cuidam euenuti exponendum, decisionem hanc
 accomodandam, ac non tam istius fati faciendum petitionis iniustitiam,
 quam potius ad implendam adhuc conditionem adigendam esse vxorem
 statueret. Quid? Quod quo omnis in matrimonio dissoluedo coercea-
 tur

tur temeritas, non modo illum qui sciat, verum et qui coniciat modo aut ante matrimonium stuprum, aut eodem constante adulterium, ac siue sciat facinus siue coniciat illud, nihilo tamen minus silentio stuprum premens copulatione consummet matrimonium, aut commisso adulterio, continuandi matrimonii propensionem deinceps fatiando veneris fruendae appetitu tacite modo profiteatur, quamuis diserte haud remiserit, vel illum igitur, quippe ista sic delicta tacite condonasse exilimandus sit, a petendo deinceps diuortio merito repellendum esse intelligitur, et sic in stupro acque ac in adulterio iudicare solet Consistorium Lipsiense, quamuis in saeculis nullam illud tali tacitae remissioni, ad declinandam temporariam separationem vim concedat.

Observatio III.

Secunda dilatio in Saxonia sine solemnitate legali vel consentiente altera parte haud concedenda, tertia autem nemini plane nisi restitutionis beneficio gaudenti indulgenda.

Omnia quidem vndique perfonant variis ac multiplicibus hominum saepe nimis difficilium indeque interdum inique iudicantium querelis, de naevis in iustitia administranda obuiis, sed nullae tamen frequentiores ac paene dicam iustiores, quam quae de lento nimis iustitiae cursu solent effundi. Multos enim audias palam, ac proh! dolor saepe vere profiteri se non tam rem lite iusta quaesitam, quam litis modo famam inanemque victoriae laudem ex iudicii loco retulisse, quid? quod non modo opes ancipiti pugnae iudicialis fortunae expositas, verum et eodem tractu certas suas indubitasque ad se rapuisse iudicium lenitudinem patronorumque loquacitatem. Quare principum quorundam recentiorum sapientiam in circumcidendis litium ambagibus, domandisque legum seueritate calumniae omnis ac rapacitatis patronorum monstros conspicuam, celebrat optimus quisque merito ore, tacitaeque etiam animi admiratione prosequitur. In quibus legibus si qua deprehenduntur sapienti consilio ad contrahendum abbreviandumque litis cursum constituta, illa profecto ne partium quidem omnium arbitrio sunt mutanda, contorquendaque ad eundem dilatandum ac producendum relinquenda. Id enim ius publicum in quo tota vertitur rei publicae



publicae salus, pacta priuatorum ea, quae eius corrumpendi consilium praefurunt, reuereantur. Sed quorsum haec disputauimus, quorsum? ut scilicet viam nobis muniremus ad hanc, uti saepe, ita vel nuper in Consistorio Lipsiensi agitamam quaestionem, num in probatione suscipienda secunda dilatio, ad quam impetrandam in Saxonia, ex Ordinationis Recognitionis auctoritate, solemnitas, uti dicitur, legalis, exceptis personis restitutionis commodi capacibus, requiritur, conuiente certe ac consentiente altera parte absque iurisiurandi religione, aut tertia, ea adhibita, cuius concedenda forte videatur, quam opinionem, uti ab antiquioribus quibusdam Iurisconsultis, ita et a *Beato Zollerio* in *Observationibus eius practiis* defensionem legitimus. Sed contraria opinio, quam et idem *Vir doctus*, retractata priore, probauit deinceps, forte haud immerito in Consistorio Lipsiensi, cuius in causis ecclesiasticis tractandis rationem nunc persequimur, semper vicit. Quanquam enim quam proxime videtur attingere priuatorum commodum praescripta haec in dilationibus concedendis norma, illi ipsi tamen totius reipublicae salus, omnino summa in iustitia administranda celeritate, omnibus procrastinationi latebris occulis, ob grauissimas causas indigens, implicita tenetur. Nec ipsa lex, quae in septiduo quidem ad aliud breue spatium producendo, ac iureiurando remittendo partibus arbitrium fere quoddam relinquit, sed hic, nulla licentia indulta, omni omnino iudici exhibendae probationi nullitatem ipsam minatur, sine solemnitate legali impetrata secunda dilatione, aut tertia aliis, quam restitutionis in integrum beneficio gaudentibus concessa, hanc erga partes benignitatem tolerare videtur.

Observatio IV.


De initio alimentorum a marito ab vxore separato ac stupratore praestandorum. Contractus vitalitius deinceps initus nullam ab alimentis inducere potest liberationem.

Alimentorum causam leges fere omnes tenent constanter, privilegiisque egregiis ornarunt, idque profecto haud immerito, partim quod omnino vita hominum, eiusque commode transigendae facultas liberalissimum quemuis quam maxime tangit, partim quod alendorum hominum onus, nullis amplius opibus suppetentibus, necessitatis tandem lege ad ipsos

ipfos deuoluit magistratus. Hinc vel incapacibus relinqui posse alimentorum legatum, hinc plenissime quoad alimenta esse interpretandam testatorum voluntatem, terminum alimentorum, quantum fieri possit, proferendum, de iisque non nisi auctore praetore transigendum, constituerunt leges Romanae, indeque et Carboniani edicti, Romano iure propositi, ratio intelligenda. Quem autem fauorem, uti omnino, ita imprimis in fine proponendo exhibuerunt alimentis leges, is nec iisdem in constituendo initio denegandus. Quaesitum scilicet est saepius, si imposita fuissent maritis a thoro, uti dicitur, ac mensa vxoris separatis, sententiae auctoritate alimenta, inde a quo tempore eorum praestandorum onus incumberet? Ac hi quidem mariti, inde a publicata statim sententia, quamuis leuiteratione vel appellatione contra eam interposita, porrigent merito vxoribus alimenta, sicque pronuntiare nunc semper solet Consistorium Lipsiense. Etsi enim aliis in causis inde tandem a tempore rei iudicatae vires nascitur sententia, tamen cum mariti nomen ac munus adeoque et alendae vxoris officium intra separationis spatium perpetuo continuat is qui hoc modo fuerit separatus, ac leuiterationis appellationisque remedio interponendo maxima fere alimentorum parte fraudare possit vxorem eius iniquitas, in alimentis aestimandis haud dubie inde a publicatione statim vim fortietur sententia. Ad alimenta tamen inde a discessu mox tempore praestanda tunc modo apud nos cogi solent mariti, si tam ferocibus fuerint illi moribus, ut, si diutius in conuictu eorum mansissent, extremo se exposuissent periculo vxores. Nam alias, nulla ab magistratu ecclesiastico interposita auctoritate, illicita plane habetur omnis coniugum quamuis ob grauem causam facta discessio. Dissentit hic quodammodo *Eruditi. Püttmannus in Aduers. L. II. C. I.* Sed in stupratore, ad alendum ex eo susceptum infantem, quodnam alimentorum initium constituendum? Hic quia non tunc, cum, re ad iudicem delata, sententia alimenta infanti decernens pronunciat, multo minus tunc tandem, cum superioris iudicis confirmatione haec sententia vires acquirit, verum potius mox, inde a natiuitatis momento, patris munus ac officium suscipit, inde et ab illo momento praebenda esse infanti ab eo alimenta, vel nobis non momentibus intelligitur. Illud modo admonendum videtur, si semel confessus fuerit concubitus turpitudinem stuprator, neque nimia temporis breuitas coniecturam plane euertat, quamuis plures concubitus socios nominet ille, in huiusque exceptionis latebra aduersus alimentationis petitionem delitescere cupiat, posse tamen eum nihilominus in summa matris inopia, alendique infantis impotentia,

B

ob



ob concessum facinus ipsum, statim, durante saltem lite, iudicis auctoritate ad alimenta infanti praestanda recte adigi. Certe haec est opinio *Wernheri in Part. I. Observat. 13* quae iure sane a nobis in praxi servatur. Callide autem profecto nuper maritus quidam, ab vxore separatus, omne alendi ab se onus declinare quaesiverat. Dum scilicet emittentur ab Consistorio ratione alimentorum sententia decretorum excoiutoriales aduersus maritum, intercedebat tertius quidam, producens contractum vitalitium. cum isto homine ipsa deinceps iudiciali auctoritate initum, vi cuius sub onere senem hunc, sed exclusa muliere, alendi, omnia bona ad se pertinere, adeoque ab executionis impetu liberandum esse maritum, liberanda eius bona, iactabat. Sed contractum talem fraudulenter cum tertio initum, nec maritum nec supratorem alimentorum vinculo solvere, verum potius cum ille, nisi adempta ipsi plane Consistorii auctoritate maritelli persona, nunquam, quamdiu vivat, sustentandae vxoris partes defugere queat, hic autem ipsius stupri prauitate ad alendum ex se susceptum infantem sese obligauerit, vtrumque, non obstante contractus talis vitalitii, contra ius aliorum celebrati fraude, ad suppeditanda alimenta recte adigi, ipsumque tertium illum ad ea loco mariti ac supratoris, vxori ac infanti praebenda, iure impelli posse, adparet.

Observatio V.


De operarum in aedibus sacris parochialibusque aedificandis praestandarum ratione nonnulla.

Quinam obligentur ad eas operas, quae Spanndiense vocantur.

Inter omnia, quae naturae humanae accidere possunt, bona, cum ad sensum nullum suavius existimetur, libertatis dulcedine, inter omnia mala, vinculis induendis, nullum ad patiendum tetrius, sensuque ipso haeriat quisque hoc de libertate ac seruitute iudicium, mirum non est, vti omnes omnino homines, ita et inprimis rusticos, duro iam nimis seruitutis iugo oppressos, si qua fruantur adhuc libertatis umbra, diligenter illam acriterque tueri, ac si quod nouum vel leuissimum ab iis exigatur officium, ne illud existat grauiorum onerum quasi praeludium aliquod, vel illud reculare eos, hoc inprimis tempore, quo rerum pretia in immensum exarsunt.

auferant. De operis quidem ad aedificia sacra conferendis cum agitur, studiose eos, in quibus lateant, latebras omnes, quibusque immunitatem suam tingant, colores omnes inquirere videas. Quicumque gregi pastoris annumerentur, cum eius cura pari modo complectatur omnes, ad onera etiam omnia, adeoque et illa cum aedium reparatione coniuncta, in regula teneri merito eos omnes, tantoque se minus ab iis quinquam liberare posse, quanto grauiora, vel ad ipsam alteram vitam pertinentia commoda sp. det pastoris cura, et quanto acerbiores tamen saepe ipsi in hac animorum cura gerenda, pectinacique ac vel leuissimi religionis iugi impatiente plebe moderanda molestiae deorandae, facile intelligitur. Sed nihilo tamen minus p'ena feodi libertas, vti fere illa plerisque in locis omni omnino exiunt parochiis ac ludimagistris praestandorum onere possessores, ita et praestat ea ab operis in aedibus sacris parochialibusque reficiendis plenam immunitatem, quae vero minime extendenda ad allodialia, si qua possideant nobiles, bona, in quibus pari potius cum reliquis parochianis loco habentur. De aedificiis nouis, in fundo nobilis libero extructis, tenet adhuc Consistorium Lipsiense principium hoc, quod modo tunc, si, qui in conuictu sunt nobilis eiusque domestici habentur, illa inhabitent, immunitatem tanquam accessorium quoddam et ipsa praesent, minime autem, si alioni homines proprio illa iure possideant. Grauiissimae autem frequentissimaeque super immunitate lites matris inter ac filiae parochianos agitari solent. Sed frustra. Haec enim hic semper obtinet recte regula, quod ad parochiales quidem aedes reparandas conferre teneantur filiae incolae operas, sed in templo matris aedificando ad eas tunc tandem obligentur, si nullo ipsi proprio templo vtantur. Intelligendum tamen est, vel hanc regulam saltere, si, licet proprium templum possideant, sacris tamen, vti fit nonnullis in locis, in matris ecclesia vtantur, vti iam ratione sumtuum conferendorum monuit *Illustris Kistnerus in egregiis notis ad Deylingii Iurisprud. Pastor. p. 670.* aut, id quod forte addendum ibi est, alternis, vti etiam fit interdum, vicibus concionibus sacris ibi interesse necessitate cogantur. Nam tunc ex aequissimo illo principio, *qui sentit commodum sentiat et incommodum*, in quandam operarum societatem merito vocantur, nisi ad illam iuste recusandam contraria quadam obseruantia adiuuentur.

Quod tamen inprimis ad earum operarum, quae Spann. Dienste vocantur, conferendarum rationem, disceptationi vel maxime expositam attinet, semper secutum est Consistorium Lipsiense ipsa saepe aequitate ac rei




natura suadente, principium hoc, quod qui bouibus vterentur, nisi contra-
ria forte munirentur obseruantia, vna eum illis, qui equos alerent, ad
operarum harum societatem vocarentur. Sed in reparanda ecclesia T.
incendio nuper absumta, opinionem nostram minuere, ac sic pronuciare
placuit *Summo Prouocationum Senatus*, eos solos esse huic oneri subficien-
dos, qui vere pro fundorum ratione equos alere cogerentur ac alerent,
caeteris omnibus, qui aut ad equitandum modo singulos equos alerent,
aut bouibus vterentur, aut per conductores agros colendos curarent, aut
antea quidem aluissent equos, sed vendidissent eos deinceps, his igitur omni-
bus solas manuaras operas esse relinquendas, nisi non tam secundum
equorum rationem, eorumque pro fundorum natura alendorum necessita-
tem, quam omnino agrorum ipsorum proportionem diuisas semper fuisse
vitra praescriptionis tempus has operas, legitime probatum fuerit.
Quam tamen rationem in iis modo locis, vbi plures reperiuntur ad equos
alendos obligati fundi, locum habere posse, in aliis firmum manere Con-
sistorii principium, intelligitur.

Observatio VI.


De matrimoniis nonnullis, quae prohibita vulgo Iure diuino existimantur.

Vt nebulis, quibus ob temporum longinquitatem morumque Iudaicorum
ignorantiam tectae olim latuerant leges Mosaicae de matrimoniis,
ob sanguinis necessitudinem prohibitis, discussis fere omnibus, multo ho-
die clarius intelligeremus istas leges, multo altius in earum rationes pene-
traremus, omninoque adeo rectius de variis statueremus matrimoniis, re-
centiorum quorundam Interpretum, *Michaelis* inprimis inter alios ac
Cottae ad Gerhardum sagacitate ac diligentia effectum esse merito laeta-
mur. Diuinam quidem sapientiam Iudaeis potissimum hanc, ad quam
se in matrimoniis ineundis componerent, normam constituisse, ac pro
institutorum morumque Iudaicorum, ac inprimis domesticae coniunctio-
nis ratione, quaedam legibus his matrimonia prohibuisse discrete, quorun-
dam autem, quamuis eiusdem gradus, matrimoniorum contrahendorum
licentiam, ex ipso silentio iudicandam, concessisse ipsis, probabilibus sane
argumentis ab egregiis illis viris defensum legitimus. Sed cum tamen illa-
rum

rum legum ratio certe e longinquo ad omnium ciuitatum salutem spectet, praetereaque dirissimis prohibitiones ipsae execrationibus munitae reperiantur, non modo nunquam a diserta quadam prohibitione recedere, verum et ad pares gradus, verbis vel haud inuentibus, liberaliter extendere prohibitiones, omninoque modeste potius intra harum legum limites se continere, quam audacter illos transire amat Principum ac Confessoriorum sollicitudo. Ac profecto quis in hac puellarum copia, dubio quodam matrimonio ineundo, tranquillitatem animi, inaeestimabile illud bonum, ancipiti cuidam fortunae exponere, ortaue quadam calamitatis tempestate, ob matrimonii forte iniussitiam poenitendi sibi causam occasionemque temere creare audeat? Sed si qui tamen ob semel contracta matrimonia ea, quae, silentibus licet litteris sacris, opinionis quodam errore iniusta iis videntur, inanibus conficiuntur angoribus, quantum fieri potest, dedocendi fuit eorum animi, scrupulique isti omni ex iis studio euellendi. Multi scilicet multorum animos hac in re occuparunt errores, sic, vt quaedam legibus Mosaicis permilla plane matrimonia prohibita tamen quibusdam videantur, cuius generis collecta a nobis exempla quaedam, quae quidem recentiori tempore occurrerunt, vt singularis simul *Serenis. Saxoniae Elektoris* in tolerandis matrimoniis talibus inprimis iam consummatis alibi clementia intelligeretur, commemorare hoc loco placuit. Matrimonium cum vxoris forore modo viua vxore prohibitum fuisse legibus Mosaicis, cum haud obfcure ex *Lev. 18, 18.* elucere videatur, eius ineundi et in terris Saxonis, vt multa vel recentiora exempla docuerunt, quamuis nulla parochis copulationis necessitate imposta, (quam tolerantiam satis constat egregie differre a dispensatione,) potestas conceditur. Ob paritatem rationis, et prohibitionis in *Lev. 18, 16.* indicatae, auctoritate *Deuter. 25, 5. Ev. Matth. 22, 24.* aliorumque noui Foederis locorum ad fratris modo vitam, certis saltem in speciebus, recte resringendae euidentiam, cum fratris vxore nuptias omnino iure diuino licuisse, multi hodie, quamuis dissentiente *Luthero* in litteris eius recentissime editis, opinantur. Cf. *Perizonii Dissertatio* hac de re et *Beati Hommelii Responsum in Rhapsod. Quaest. XCIII.* Quare et ad copulationem cum fratria, aliquando alieno in territorio factam, ita tamen, ne ad exemplum res traheretur, coniuere nos iussit *Rescriptum Supremi Senatus Ecclesiastici d. 14 Dec. 1710CCCLXXI.* Respectus autem, vt dicitur, parentelae, cum ex legum Mosaicarum auctoritate tunc inprimis impedimentum matrimonii obieisse videatur, si timendum esset, ne ob coniunctionis domesticae necessitudinem libidinis



alendae occasio suppeditaretur, aut ipsius parentelae dignitas auctoritasque minus retur, id quod, si ex parte mulieris respectus occurreret, subicienda scilicet muliere maritali imperio, accidere solebat, cum vxoris fororis filia, vbi aberat plane talis metus, permittas Iudaeis nuptias fuisse recte statuitur, atque adeo, quamuis in *Saxonia Rescriptum d. 9. Iun. 1704 in Cod. Aug. Tom. I. p. 1037* eas prohibeat, alieno tamen in territorio consummatis ex rescripto *Senatus Ecclesiastici d. 8. Febr. 1779*, gratia fiebat. Matrimonium cum priuigni vidua, nulla inter personas has vera coniunctione intercedente, dispensari, iam monuit *Bergerus in Suppl. ad Eleñ. prot. matr. p. 114 seqq.* Hinc dubitandum non est, quin matrimonii cum stuprata a priuigno, quam speciem nuper admodum nobis oblatam vidimus, sit dispensatio secutura. Singularis nuper, de cuius iustitia anxia nimis parochi cuiusdam religio dubitaret, occurrit species, digna illa nobis vel ob talis religionis raritatem visa, quae ultimo a nobis loco commemoraretur. *Titius* scilicet, postquam deseruerat vxorem suam *Luciam*, aliam vxorem, *Semproniam* nempe, quae et ipsa maritum suum *Caium* deseruerat, in matrimonium duxerat. Qui cum essent bigamiam confessi, *Caius* ab vxore sua desertus, *Luciae* a marito suo desertae, ad exercendum quasi ius quoddam talionis, iungi cupiebat. Quae personae innocentes cum plane nullo tenerentur necessitudinis vinculo coniunctae, matrimonii quoque huius facultatem sine mora iis concessit *Senatus ecclesiastici* ad quem initio statim a partibus ista species fuerat delata, *Rescriptum d. 9. Iun. 1775.*



DOCTIS.


DOCTISSIMO ORNATISSIMOQVE
GEISSLERO

S. D.

F R A E S E S.

Quod me potissimum dignum iudicaueris, Doctissime GEIS-
LER, qui TE in conspectum virorum doctorum ac notitiam pro-
ducerem, de eo mihi non possum non vehementer gratulari.
Quotusquisque enim eorum, qui TE norunt, est, qui TE, uti ob
patris TVI egregia merita, ita et ob proprias TVAS virtutes non
egregie colat? Sed, si cui tamen alii, mihi imprimis es ob utram-
que causam longe carissimus. Nam patrem TVVM non modo
ego, uti alii, ob doctrinae virtutisque famam suspicio, verum et
ob eam, quam in me iuvene olim erudiendo adhibuit patientiam,
pio ac grato animo veneror. TVAS autem virtutes non nunc
tandem, aut inde ab aliquot annis, ac e longinquo modo adspexi,
sed inde ab tenerrima aetate TVA in intimos ego introspecti
animi

animi TVI recessus, ac quomodo singulis annis cresceret doctrina, crescerent virtutes, ita, ut tandem hoc, quo nunc vigent, quasi robur illae acciperent, propius animaduerti. Gratulor igitur ex animo Patri TVO ac TIBI hunc diem, ac ut litterae, tam egregie abs TE cultae, fructus TIBI mox largiantur uberri-
mos, ingenue opto. Cui TVAE felicitati cum meam implicatam fore profitear, meas TE res vicissim non plane abs TE alienas existimaturum esse, spero. Scripsi Lipsiae d. XXII. Ian.
CICIOCCCLXXXIV.








ULB Halle
006 378 986

3



1078





15337.

84, 21.

OBSERV
IVRIS EC

ILLVSTRIS ICTORVM
PRA
CHRISTOPHO

WO
IVRISSCIENIAE AC
CONSISTORII ELE
ADSESSORE CIVI
D. XXVII. IANV

H.
DEFI
IOANN. GEORC
GORL.
IVRIVM

LIP S
EX OFFICINA I

